



UNIVERSITY OF
CAMBRIDGE

CLASSICAL TRIPOS PART IA

Thursday 8 June 2006 9 to 12

Paper 3

PASSAGES FOR TRANSLATION FROM LATIN AUTHORS

Translate all the passages.

The examiners will give equal weight to each Section.

It is important to write good English.

Use a separate booklet for each Section.

Write your number (not your name) on the cover-sheet of each Section booklet.

Candidates who do not write legibly may find themselves at a grave disadvantage.

STATIONERY REQUIREMENTS

20 Page Booklets x 2

Rough Work Pad x 1

Tags

SPECIAL REQUIREMENTS

None

**You may not start to read the questions
printed on the subsequent pages of this
question paper until instructed that you
may do so by the Invigilator**

SECTION A

Translate:

A1 Tertium genus est aetate iam adfectum, sed tamen exercitatione robustum; quo ex genere iste est Manlius cui nunc Catilina succedit. Hi sunt homines ex eis coloniis quas Sulla constituit; quas ego uniuersas ciuium esse optimorum et fortissimorum uirorum sentio, sed tamen ei sunt coloni qui se in insperatis ac repentinis pecuniis sumptuosius insolentiusque iactarunt. Hi dum aedificant tamquam beati, dum praediis lectis, familiis magnis, conuiuuiis apparatus delectantur, in tantum aes alienum inciderunt ut, si salui esse uelint, Sulla sit eis ab inferis excitandus; qui etiam non nullos agrestis homines tenuis atque egentis in eandem illam spem rapinarum ueterum impulerunt. Quos ego utrosque in eodem genere praedatorum direptorumque pono, sed eos hoc moneo, desinant furere ac proscriptiones et dictaturas cogitare. Tantus enim illorum temporum dolor inustus est ciuitati ut iam ista non modo homines sed ne pecudes quidem mihi passurae esse uideantur.

CICERO *In Catilinam* II 20

A2 Denique Tyndaridem raptam belloque subactas
Troiiugas gentis cum dicunt esse, uidendumst
ne forte haec per se cogant nos esse fateri,
quando ea saecla hominum quorum haec euenta fuerunt
inreuocabilis abstulerit iam praeterita aetas;
namque aliud terris, aliud regionibus ipsis
euentum dici poterit quodcumque erit actum.
Denique materies si rerum nulla fuisset
nec locus ac spatium, res in quo quaeque geruntur,
numquam Tyndaridis forma conflatus amore
ignis Alexandri Phrygio sub pectore gliscens
clara accendisset saeui certamina belli
nec clam durateus Troiianis Pergama partu
inflammasset equos nocturno Graiiugarum;
perspicere ut possis res gestas funditus omnis
non ita uti corpus per se constare neque esse
nec ratione cluere eadem qua constet inane,
sed magis ut merito possis euenta uocare
corporis atque loci, res in quo quaeque gerantur.

LUCRETIVS I 464-82

A3

At tuba terribilem sonitum procul aere canoro
increpuit, sequitur clamor caelumque remugit.
Accelerant acta pariter testudine Volsci
et fossas implere parant ac uellere uallum;
quaerunt pars aditum et scalis ascendere muros,
qua rara est acies interlucetque corona
non tam spissa uiris. Telorum effundere contra
omne genus Teucris ac duris detrudere contis,
adsueti longo muros defendere bello.
Saxa quoque infesto uoluebant pondere, si qua
possent tectam aciem perrumpere, cum tamen omnis
ferre iuuat subter densa testudine casus.
Nec iam sufficiunt. Nam qua globus imminet ingens,
immanem Teucris molem uoluuntque ruuntque,
quae strauit Rutulos late armorumque resoluit
tegmina. Nec curant caeco contendere Marte
amplius audaces Rutuli, sed pellere uallo
missilibus certant.

VIRGIL *Aeneid* IX 503-20

[TURN OVER

SECTION B

Translate:

B1 Terra, etsi aliquanto specie differt, in uniuersum tamen aut siluis horrida aut paludibus foeda, umidior qua Gallias, uentosior qua Noricum ac Pannoniam aspicit; satis ferax, frugiferarum arborum inpatiens, pecorum fecunda, sed pleraque improcera. Ne armentis quidem suus honor aut gloria frontis: numero gaudent, eaeque solae et gratissimae opes sunt. Argentum et aurum propitiine an irati di negauerint dubito. Nec tamen adfirmauerim nullam Germaniae uenam argentum aurumue gignere: quis enim scrutatus est? Possessione et usu haud perinde adficiuntur; est uidere apud illos argentea uasa, legatis et principibus eorum muneri data, non in alia uilitate quam quae humo finguntur, quamquam proximi ob usum commerciorum aurum et argentum in pretio habent formasque quasdam nostrae pecuniae agnoscunt atque eligunt; interiores simplicius et antiquius permutatione mercium utuntur.

TACITUS *Germania* 5

B2 *Althaea is torn between avenging her brothers and saving their killer, her son Meleager, who will die if she burns the fatal log (torris, stipes).*

‘Ergo inpune feret uiuusque et uictor et ipso
 successu tumidus regnum Calydonis habebit,
 uos cinis exiguus gelidaeque iacebitis umbrae ?
 Haud equidem patiar: pereat sceleratus et ille,
 spemque patris regnumque trahat patriaeque ruinam.

Mens ubi materna est ? Vbi sunt pia iura parentum
 et quos sustinui bis mensum quinque labores ?

O utinam primis arsisses ignibus infans,
 idque ego passa forem ! Vixisti munere nostro,
 nunc merito moriere tuo. Cape praemia facti
 bisque datam, primum partu, mox stipite raptu,
 redde animam, uel me fraternis adde sepulcris.

Et cupio et nequeo: quid agam ? Modo uolnera fratrum
 ante oculos mihi sunt et tantae caedis imago,
 nunc animum pietas maternaque nomina frangunt.

Me miseram ! Male uincetis, sed uincite, fratres,
 dummodo quae dederu uobis solacia uosque
 ipsa sequar.’ Dixit, dextraque auersa trementi
 funereum torrem medios coniecit in ignes.
 Aut dedit aut uisus gemitus est ipse dedisse
 stipes, et inuitis correptus ab ignibus arsit.

OVID *Metamorphoses* 8.494-514

END OF PAPER